

NUMINE ZEBAOOTH LUCENTE!
DISPUTATIONEM PHYSICAM,
De

GALAXIA,

Ex Decreto & Auctoritate Philo-
sophorum Aboënsium in Regia ibi-
dem Academia,
Sub

DIRECTIONE

MAGNIFICI ACADEMIÆ RECTORIS

DN. PETRI HAHN,

Physices Professoris & Biblio-
thecarii Ordinarii,

PRO GRADU MAGISTERII,

Examini publico sistit

S. R. M. Scipend.

NICOLAUS ZUNGDASH/

Smol. Aust. Burg.

In Auditorio Maximo,

die 21 April. 1706. horis antemeridianis.

Exc. Jo. WAL,

Jo. Wal

ALAXIA

Deutscher & Amerikanischer
Chemischer Absatz in England
von Alaxia



M. PETRI HANN

Physicus Professor &
Lehrer der
Chemie

COLLAGES
LONDON

Handwritten signatures and notes at the bottom of the page.



§. I.



perum Divinorum manife-
sti contemptores quin illi
sint censendi, qui hæcce
ingeminant verba: *Qvæ*
supra nos, nihil ad nos: nemo
facile negaverit. Ostendunt namq; hoc
ipso manifesta damnandæ impietatis ar-
gumenta, dū Creatorem ex rerum crea-
tarum diligenti speculatione, quantum
quantū possunt, cognoscere nolunt. Scili-
cet, natura rerum primam, sine omni con-
roversia, dignitatem tribuit corporibus
cœlestibus: quippe quæ absolutissimā
harmonia consentiunt; constantissimā
serie cursum suum perficiunt & gratif-
simā luce omnium oculos pascunt: a-
deoque Majestatem, nescio quam singu-
larem & admirandam, præ reliquis in sinu

A

qua-

quasi gerunt *σώματα* hæc *ἀδιάφθορα*. Nam etiam si Sol limpidissimus ille cœlestis luminis Fons suas maculas, suasq; patiatur Eclipses; tamen non deficit hæc Phœbeja lampas, sed postmodū magis elucescere videtur: ita ut omnia de novo quasi animet, vivificet & exhilaret. Quare etiam Platonici animam mundi in Sole collocarunt. Et Orpheus Solem vivificū Cœli oculum appellavit. Sed quid de magnificis illis mundi spectaculis Stellis Fixis dicamus? annon hæc gloriosa Cœli Lumina meditationem, ob suam excellentiam, mereantur sedulam? Ut reliquas taceamus, innumeras minutulas illas GALAXIAM constituentes, quas non sine admiratione, cum devotissimā Creatoris veneratione conjuncta, animadvertimus. Hæ enim pulchritudine mirabiles; multitudine innumerabiles, virtute inæstimabiles micantes Cœli Faces, stuporem vel cuivis pio & attento Speculatori injiciunt. Et sicut solius est hominis opera divina contemplari; ita non potui non, cum iteratā jam vice specimen aliquod

Aca-

Academicum mihi sit edendum, ingenium, talia piè cogitando, exercere meum, & magnificentissimum illud Cœli Monile & Ornamentum GALAXIAM festino depingere calamo, quod ut feliciter eveniat, faxit Sanctissima Trias!

§. II.

Interim nihil nos in ipso limine constitutos, prolixa onomatologia γαλαξίας moratur, cum verendum sit, ne hæc, utut in Scholis frequentissima, nauseam lecturis creet: uno igitur vel altero verbo notasse sufficiat, vocabulum hocce, quod prima Dissertationis nostræ facies gerit, natales suos debere Græcis, adeoque à Philosophorum Antesignano Aristotele desumptum, qui stellas in hoc circulo occurrentes, tali maxime insignivit nomine. Dixit enim κύκλος τῆ γάλακτος, ἢ τῆ γάλακτος χώρα, item alio in loco γαλαξία, à nomine græco γαλά, quod significat lac, ob colorem præcipuè instar lactis candidum, quem oculis mortalium hic exhibet circulus. Quare et.

iam latinis dicitur *Circulus lacteus*, *Via lactea*: vulgo vero vocatur via D. Jacobi, quod nomen ex superstitione originem ducit. Item *Coluber tortuosus*, ut Versio Latina habet apud Jobum cap:26. ver: 13. Et Germani, quorum lingua aliàs propriis omnium rerum vocabulis, si quæ alia, locupletissima, eodem modo appellitant eum *Milchweg* / eandem planè, quam antea præfatus sum, ob causam. Nos verò Sveci, haud minorem in notionibus imponendis adhibentes curam vocamus illum *Wintergata* / forsitan à tempore, quo hic circulus maximè apparet. Tempore enim hyemali, serenis noctibus, luculentissimè conspicitur, & singulari quâdam animos hominum perfundit voluptate. Et hæc ipsa fuerunt, quæ in ipso introitu, sicco, ut ajunt, pede, non prætereunda esse putavimus.

§. III.

His igitur ita expensis, ipsam *Galaxie* de quâ acturi sumus Definitionem talibus proponimus verbis;
Ga

*GALAXIA est Zona in Cœlo latissima
 Et notabilis, colorem lactis represen-
 tans, totumque Cœlum cingens, illudq; in
 duas partes seu hemisphæria dividens.*

De natura, situ & proprietate hujus Zo-
 næ varias variorum sententias, toto Cœ-
 lo discrepantes videre licet. Aristoteles
 enim in sua Meteorologia & ejus Seqva-
 ces putarunt circulum hunc, non in
 Cœlo sed in aëre esse. Franc: Piccol.
 lib. de Meteoris cap. 9. duplicem statuit
 esse GALAXIAM, unam cœlestem; alte-
 ram aëream. Præter has jam comme-
 moratas opiniones, multæ aliæ inveni-
 untur, à quibus tamen omnes moderni,
 iique non ignobiles Philosophi recesserunt,
 quorum etiam nos prememus ve-
 stigia. Sed prius quæ à Poëtis & non-
 nullis aliis de hac Zona dicta sunt pau-
 cis percurramus, & mox ad eorum ve-
 ritatis, non temeritate aliqua sed ratio-
 ne, duas prædictas limamus sententias.

§. IV.

Quare nullam remoram progressui nostro Poëtarum injiciunt tabulæ, quippe quæ pura puta sunt figmenta: tabulantur enim Alii Circulum lacteum esse viam, eo tempore combustam, quo Phaëton in regendo Solis curru à verâ via aberravit & sic hunc locum incendit, ut post combustionem illam cineris referat colorem & albus atque lacteus videatur. Alii, portionem de lacte Junonis in hunc Cœli locum effusam esse scriptitant, cum eam Hercules suxisset, ut Cœlius Rhod: antiq: rer: refert. Vide apud Aristotelem lib. i. Meteor. cap. 8. alia Poëtarum figmenta, De pugna Apollinis adversus Gigantes: De via animarum: De sede Heroum inter stellas. quæ, cum ad materiam nihil facere videantur, consulto omittimus. Nonnulli verò alii paulò vero similis locuti sunt. quod Sol aliquando in hoc orbe circulum suum confecerit, eoque motu hunc lo-

locum incenderit, unde conflagraverit aut simile quiddam perpeffum fuerit, ut lactis referret colorem. Sed hæc sententia per se ruit, magnamq; absurditatem cuius penitus introfpicienti prodit. Nam fi hæc candoris lactei causa effer, multo magis in Zodiaco hæc accideret incenfio five affectio, & fic albus confpiceretur, cum non modò aureus ille mundi oculus Sol, verum etiam omnia reliqua errantia fidera curfum fuum in hoc, ad Æternæ Sapientiæ nutum, perficiant, nec eum vel tantillum excedant: fed nulla tamen talis affectio talisve candor ibi invenitur, nifi in illa parte, quâ cum circulo lacteo copulatur: etfi, Cœlo fereno, pars ejus nobis femper appareat, & fi candidus effer facilè noctu confpici poffet, quod tamen Aftronomi inftrumentis fuis infallibilibus nunquam obfervarunt.

§. V.

Quemadmodum nullus unquam mortalium tantæ effer fagacitatis & perfpicaciæ, quin in quibusdam non erret: ita

ita etiam Aristoteles (quod tamen pace
 tanti viri dixerim) in hoc præcipuè ar-
 gumento, humani quid passus fuit, er-
 rando errorem insignem. Ille enim re-
 gionem aëream, ut supra commemo-
 ravimus, *Galaxia* naturale & proprium
 locum esse statuit, ideoque eam inter
 Meteora, & quidem ignita recensuit, &
 constare ex calidâ & ficcâ exhalatione,
 in eum locum à sideribus extracta. Ubi
 πυκνότητα και πλῆθια, και μέγιστα των χόλων
 ὄντα τῶν ἀστρων. hoc est, *densissima* & *plu-
 rima* & *maxime sunt stelle*. easque ad mo-
 dum Cometæ grandioris ibi se habere,
 perpetuitatem autem ejus, continuæ ha-
 lituum & vaporum attractioni adscribit,
 quam magna illa astrorum copia efficit.
 Ast si *Galaxia* ex calida & sicca exhalatio-
 ne oriretur, quomodo quæso in eodem
 loco, eodem colore & eadem magnitu-
 dine semper appareret? omnia quidem
 in rebus Meteorologicis κατὰ φύσιν fiunt,
 nec cogitandum est, quod semper ea-
 dem materiæ copia, eâdem qualitate
 præ-

prædita in eodem loco colligi possit. Et præterea si accendatur eodem colore esse nequit, ut videre est in Cometis, qui nec eandem faciem servant: sed nonnunquam rubicundiores, interdum vero candidiores, tot lynceis oculis spectantur: nec in eodem semper generantur loco sed nunc proprius; nunc remotius à corpore lunari in Planetarum regione formantur. Adhæc si Meteorum *Galaxia* esset, tum non semper, nec ejusdem esset magnitudinis; nec figuræ: sed contrarium quotidiana comprobatur experientia. Deinde tempus durationis quod attinet, constat *Galaxiam* esse perpetuam & immutabilem, quæ affectiones de nullo prædicantur Cometa vel Meteoro, quæ sunt mutabilia & jam existunt, jam non. Ultimò, si *Galaxia* non esset in cælo sed in aëre, non semper in eodem cæli spatio, vel circa easdem constellationes conspiceretur, aliquamque parallaxin admitteret, ut Cometæ, qui modo sub hoc, modo sub alio apparent *φαινόμενα*. Verum aliud

dies docet, qui testatur *Galaxiam* tot seculorum decursibus semper, nubibus dissipatis, in eadem cœli parte apparuisse. Nec in castra Franc. Piccol. descendere possumus, statuminantis duplicem (ut antea notavimus) *Galaxiam*. Cœlestem scilicet, quæ est magna copia lucidarum stellarum in sphaera octava, & prioris hujus effectum, nempe aeream: quæ nihil aliud est, quam congeries vel massa halituum siccorum, in suprema aëris regione in circulum vel Zonam redactorum. Etsi enim singularis vis & efficacia stellis in corporibus sublunaribus non sit deneganda; nec inficiandum quin Stellæ copiosiores, per plurimos vapores & exhalationes à meatibus terræ in altum sublevent & attollant: tamen *Galaxie* hujusmodi constans perpetuitas; miranda magnitudo; notabilis figura; immobilis situs hinc depromi nequaquam possunt. Nam ad Meteorum aliquod constituendum, non sufficit plurimarum stellarum vis, sed etiam materia, eaque certo modo disposita omni-

minino requiritur, quæ cum ob variarum stellarum influxum, diversum positum, motum & circumgyrationem fluxa & instabilis sit, sequitur quod nullum meteorum constans perpetuum eodemque more & modo recurrens dari possit. Alii aliam trivêre viam, dicentes hanc Cœli partem, puta in qua *Galaxia* conspicitur, reliquis Cœli partibus non nihil esse densiorem; ita ut densitate ad naturam stellarum fere accedat, unde etiam, illam cum â proprio, tum â stellarum lumine, quod absorbet, lucidiorem & candidiorem rarioribus Cœli partibus esse affirmant: sed hæc adsertio nobis non arridet, quare eam ipsis auctoribus remittimus, nolentes litem super hac re cum nemine movere.

§. VI.

Obiter sic hisce, pro ratione temporis & instituti, discussis, candidè mentem nostram in tam abstrusâ atque arduâ re aperiemus. haud interim diffidentes quin & nos in quibusdam, quia

homines sumus errare possumus: sæpe enim mortalis caligat oculus & fatiscit interior mens: nihilominus tamen Excellentissimos sequentes Astronomos, qui subtilissimis & artificiosissimis perspicillis suis Mathematicis seu Tubis opticis rem ad ungvem, ut dici solevit, explorarunt, dubiis & incertis relictis, certioribus adhæremus atque dicimus: magnam stellarum frequentiam esse in hac parte Cœli, quæ spisso tractu in unum coactæ, ita sunt ibi dispositæ, ut circulum quendam oculis nostris repræsentent, quem *Galaxiam* vulgò vocamus. Nonnullæ autem harum stellarum sunt satis nobiles atque notabiles, reliquæ verò exiguæ & minores, in tanta tamen copia ut præ multitudine numerari nequeant: referimus ergo hæc ad stellas fixas, quæ ratione visus nostri speciem circuli exhibent: non quod exactè, Mathematicè loquendo, circulum ibi constituent, nec sic in una peripheria stent: Sed quod lucis aspergine continuum juncti luminis corpus ostendant, & lumen suum propter den-

densitatem ita confundant, ut nequeamus advertere, an revera sit circulus, nec ne. Ab hac nostra sententia non longe absuit subtilissimus sui temporis Democritus, referente Macrobio lib: 1. in Somnium Scipionis cap, 15. dicens, *Galaxiam* esse multarum minutissimarum stellarum, continuâ serie inter se cohærentium confusum atque commixtum lumen. Sed in eo non omnes conveniunt, quod, scilicet, omnes Stellæ ibi occurrentes sint minutissimæ: possunt enim â nobis esse valdè remotæ, quod quoque concedimus. Nam stellæ fixæ in octava, supra omnes planetas, juxta placita Tychonicorum, collocantur Sphæra, quâ de re consule, si placet, Hypothesin Systematis mundi B. Danielis Achrelii, Professoris quondam heic Aboæ Eloqv. celebratissimi: exactam vero harum stellarum â terra distantiam terè inpervestigabilem esse censemus. *Altitudinem enim Cæli*, dicit Ecclesiastes, *quis demensus est.* Putamus tamen non omnes â terra æqualiter distare, sed quas-

dam aliis profundius Cœlo immerfas esse, quod satis copiosè variorum calculorum egregia testatur discrepantia. Id quoque asserendum est de magnitudine earum, qua de plano probabiles sunt discursus, & si audeam dicere, audaces mortalium ausus. Statuunt enim quasdam stellas fixas septuagesies; quasdam vicies octies; quasdam undecies terrestrem molem superare, quasdam vero ab eadem vicissim superari, quam tamen sententiam ut infallibilem, neque approbamus; neque improbamus: sed liberum unicuique iudicium de hac re relinquimus, distinctam hujus rei, sicut aliarum, stellarum Domino & Creatori pie reservantes. Enimverò manifestè apparet stellas nunquam à rotunda figura in aliam vel ovalem vel romboidem, recedere, etsi hæ præcipue Stellæ in *Galaxia* ob densitatem & nimiam distantiam *dior. occidens* appareant: lineæ enim omnes ab oculo ad corporis (sphærici superficiem ductæ, æquales videntur lineæ perpendi-

diculari, ex centro oculi ad centrum sphaerici corporis ductæ. rotunditatem autem stellarum astruunt, illuminationes Lunæ, Eclipses & omnium hominum ubivis locorum habitantium aspectus.

§. VII.

Pertinaci proporro atque improbo labore, ad certum numerum insigniores redegerunt stellas, cum veteres, tum recentiores Astronomi, easque facilioris cognitionis & memoriæ juvandæ ergo, in certas figuras, ab animalibus aliisque rebus delumtas, quas ἀστερισμοὶ vocarunt, concluderunt. Harum figurarum meminit quoque Scriptura Sacra, ubi apud Jobum Arcturi, Orionis & Plejadum fit mentio: patet ergo figurarum harum distinctionem esse antiquissimam, & vel ante; vel statim post diluvium initium cepisse, quod etiam vetustissimi Poëtarum Hesiodus & Homerus testantur. Recentiores verò Astronomi, post novum detectum orbem, in Cœli parte
meri-

meridionali multas clarissimas atque
 conspicuas stellas, antiquioribus igno-
 tas, invenerunt, quas antiquos imitan-
 do, in constellationes numero duodecim
 reducerunt easque certis nominibus in-
 signiverunt. Jam ergo videndum per
 quas constellationes *Galaxia* progreditur,
 an per signa Zodiaci, an per signa Se-
 ptentrionalia & Meridionalia. ductum
 verò & progressum ejus brevibus ex-
 pressit verbis Plinius in hist: nat. cap. 29.
 sed ingeniosissimus ille Poëta Manilius
 plenius & clarius id perfecit, cujus ver-
 sus adponere lubet: in hunc ergo mo-
 dum chordas movit ille.

*Alter in adversum positus succedit ad Arctos,
 Et paulum à Boreæ gyro sua fila reducit,
 Transitque inversa per sidera Cassiopeæ:*

*Inde per obliquum descendens tangit Olorem.
 Æstivosq; secat fines, Aquilamq; supinam,
 Temporaque equantem gyrum, Zonamque
 ferentem,*

*Solis, equos intra caudam, qua Scorpius ardet,
 Extremamq; Sagittarii levam atq; sagittam.
 Inde suos sinuat flexus per crura pedesque*

*Centauri alterius, rursusq; ascendere Cælum
Incipit, Argivamq; ratem per aplustria sumā,
Et medium mundi gyrum, Geminosq; per imum
Signa secat: subit Heniochum, teque inde
profectus,*

*Cassiopea, petens super ipsum Persea transit,
Orbemq; ex illa captum concludit in illa.*

Ex hisce jam manifestum evadit *Galaxiam* à Septentrione versus austrum progredi, cælumque in duo segmenta seu hæmisphæria, orientale nempe & occidentale secare. Latitudo hujus circuli satis est notabilis, cujus expositionem ad Mathematicorum remittimus forum.

§. VIII.

CAulam efficientem *Galaxia*, diximus supra esse magnam copiam stellarum. Has Græci *σπογγώδεις* vocant: quia ad nullam certam imaginē referri possunt. Materia verò eadem est, quæ reliquarum fixarum, lux scilicet primigenia, primum, secundum & tertium creationis diem constituens, hæc cum terminus creationis erat, non accidens

sed substantia fuit, majorem perfectionem postmodum accipiens, quæ contigit quarto creationis die, quo, in stellas distributa est. magno igitur ausu magnas nugæ vendunt nonnulli veterum Philosophorum, contra sensum ipsius Scripturæ Sacræ, varias valdè absurdas de hac re foventiū sententias. Quos inter Xenophanes, stellas ex nubibus ignitis compositas esse, insullè admodum dixit, quæ interdum extinctæ fuerunt, noctu autem, instar carbonum de novo accenderentur. Diogenes statuit eas esse terræ materiæ, ob certas qualitates internas, accensæ. Anaximander ex aëre confectas affirmavit. Anaxagoras lapides ignitos contendit. Plato & Stoici, ut alios alto silentii peplo involvamus, faces igneas esse pro certo statuerunt. Nec unam eandemque sententiam amplexi sunt hujus seculi Physici pariter ac Astronomi, alii enim omnes stellas fixas ex humido & liquido elementari fabrefactas esse clamitant. Alii demum stellas esse densiores suorum

rum orbium partes suggerunt, pro quâ opinione non aliter ac pro focus certant, sed præter rem & præter rationem: nam nulla potest reddi sufficiens causa, quare DEUS lucem primævam, quæ bona fuit, destrueret. bonitatem autem ejus hæc demonstrant verba: *Vidit DEUS Lucem quod esset bona.* quare veritati magis consentaneum est, quod DEUS Ter. Opt: Max: lucem hanc, quam primo die creavit, quarto die in Stellas distribuerit, unde totus stellarum exercitus prodiit; & sic sequentibus diebus perfecit, quod primo die creavit: Hoc enim & creationis ordo & lucis cum Stellis comprobatur analogia. Nec inficiandum est, quin lux hæc substantia fuit longè nobilissima, simplicissima & præstantissima, cum inter corpora mundana nullum subtilius, nullum mobilius, nullum pulchrius, nullum suavius vel admirabilius dari possit. Sed si quis nobis oggereret, dicendo: lucem primigeniam non esse Substantiam sed accidens, ideo, quia dicitur dies,

C;

qui

qui non est Substantia. Tum responde-
mus atque dicimus hanc locutionem
esse Tropicam non propriam. Metony-
micè enim cum causa ponitur pro cau-
sato, Substantia diem constituens dies
nominatur.

§. IX.

Cum in intimiorem stellarum in *Gala-*
xia existentium formæ & essentiæ
cognitionem ratio humana penetrare
non valeat: ideo contenti erimus effe-
ctus à forma istarum profluentes per-
pendere. Formæ enim cum ignorantur
â priori istarum partes propria tuentur,
quorum unum vel alterum in superiori-
bus adhibuimus. Jam vero, Motus, quem
Sapientissimus ac juxta potentissimus
DEUS iisdem indidit, nobis expenden-
dus venit, quem pariter omnes admi-
rentur, dum vident totam illam fiderum
pompan, tam suavem harmoniâ; tam ele-
ganti ordine; tamque accuratâ propor-
tione circumgyrari. Vulgò autem du-
plex

plex stellarum fixarum statuitur Motus, Primus sc. & Secundus: ille, quô tota stellarum cohors, incomprehensa velocitate 24 horarum spatio ab ortu in occasum, juxta proprium axem circumvolvitur: Hic, quo ab occasu in ortum progrediuntur sidera. Recentiores vero unum ipsis tribuunt motum, nempe diurnum. Retardatio autem, quam longa experientia observarunt, inde fit: quod Stellæ quovis die nec oriuntur ex eodem puncto; nec in eodem quoridiè occidunt. Quam tamen priorem distinctionem Astronomis libenter permittimus, si eam loco hypotheseos habeant; eandem verò in Scholas ut introducamus Physicorum, nulla nos cogit necessitas. Aristoteles putavit motum stellarum provenire ab Intelligentiis h. e. Angelis. Alii à primo Mobili. verum neutram adsertionem probamus. Non primam: nam omnis motus naturalis profluit à principio interno seu Forma informante, non adistente, & in

Sacro codice, ubi officia Angelorum exactè descripta habemus, nulla hujus muneris habetur mentio. Nec secundam: nam stellas à motu tali plus quam tyrannico rapi & circumtrahi, rectæ rationi minime est consentaneum. & sanè idem qui jussit, ut motu suo tempora & annos describerent, potentiam quoque movendi, & id quod jussit, effectui dedit. Dicendum igitur est *Galaxie* hujus faces amabilissimas, sicut & reliquas Stellas, indita quâdam vi & facultate, sine violento & externo impulsu atque vectione, liberrimè, ut volucres in aëre & pisces in aqua, absque tamen omni irregularitate, temeritate aut confusione, moveri; fitque illud tanta pernecitate, ut nihil in hocce globo terraquo adeò velox reperiatur, quod cum concitatissimo horum corporum cursu comparari potest. Hinc planum evadit nullos dari orbes cœlestes, nedum Sidereos, quippe qui ob tam concitatum cursum facilè evanescerent, & si
unum.

unumquodq; sidus in *Galaxia* suum haberet orbem, quanta quæso tum horum orbium esset confusio, præsertim cum sidera ibi sint densissima. Interim tamen quin hujusmodi orbis Astronomi retineant nihil impedit, cum tales hypotheses ad explicandos stellarum motus non sine ratione adhibentur.

§. X.

Omnium ultimo siderum horum innata lux, quâ nihil neque pulchrius, neque jucundius, neque suavius totus hic mundus habet, considerata venit. Hoc DEI Optimi Maximi optimum & maximum, ut *Franciscus Patritius* ait, instrumentum in *Galaxia* relucet splendidissimū; absque hac luce si esset, circulus iste non tam pulcher esset. Quodnam verò sit primum lucis subjectum; vel an minores etiam *Stellæ fixæ* propriam habeant lucem, an eam mutuentur à Sole, Doctorum valdè discrepant opiniones. Quidam enim omnes *Stellas*,
tam

tam erraticas quam fixas propriâ gaudere luce: Quidam Lunam tantum lumen à Sole emendicare ajunt. Sed nos statuimus omnes stellas fixas, cum majores, tum minores, non aliter ac Solem propriâ & innatâ lucere luce, quæ non est Substantia aliqua, sicut Lux primigenia; sed qualitas corporis lucidi, quâ ipsum lucidum est & alia illuminat. Nam infinita illa distantia, quæ est inter Solem & stellas fixas, non videtur permittere tanta corpora, per tantum intervallum à Sole lumen accipere, illudque ad nos remittere. Deinde, vividi illi & vibrantes radii, quos Stellæ circumcirca ejaculantur, satis superque propriam earum lucem adstruunt, & emendicatam destruant. Non dicamus scintillationem earum exquisitissimam per tam immane spatium ad nos delatam, lucem insitam apertissimè attestantem. Ratio autem cur omnes Stellæ fixæ æqualem lucem de se non spargant, cum omnes innatâ luce gaudeant

deant, hæc esse potest. Nam neque 1: omnes Stellæ ejusdem sunt magnitudinis. Neque 2: æqualem portionem lucis omnes habent: neque 3: æquali spatio â nobis distant: sed aliæ magis, aliæ minus Cœlo sunt immerfæ. Jam, cum pleræque Stellæ in *Galaxia* & sint â nobis valdè remotæ & exiguæ, & confertæ, nemini mirum videatur, quod tam languidum & confusum lumen, talem circulum repræsentans de se spargant:

DEO autem, qui paravit manu sua Serpentem directum, sit Laus, honor & Gloria in perpetuas Æternitates!



... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur

de re potest

... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur
... hanc esse potest. Item dicitur

